



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 46. Epistola Photii contra Latinos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Sæculum IX. mosum quoque Episcopum Portuensem
 A. C. 884. Sedi suæ restituit. Plura comperta no-
 bis non sunt de hoc Pontifice, qui ex-
 eunte Februario, anno octingentesimo
 octogesimo quarto vita functus, Succes-
 forem habuit Hadrianum III. Patria Ro-
 manum, Benedicti Filium, Die Domini-
 ca, prima Martii, ut quidam putant, an-
 no octingentesimo octogesimo quarto
 ordinatum. Is Sacram Sedem anno u-
 no & mensibus quatuor tenuit, Photium-
 que, exemplum Antecessoris sui secutus,
 rejecit.

§. XLVI.

Epistola Photii contra Latinos.

Ap. Bar. an. **V**el Hadriano Papa, vel Marino S. Pe-
 883. tri Sedem occupante Photius data
 contra Latinos de Processione Spiritus
 Sancti Epistola, ad Archiepiscopum A-
 quilejensem, quem non nominat, dire-
 cta, in adversarios vehementissime inve-
 hitur. Est illa Epistola ad aliam ab Ar-
 chiepiscopo acceptam responsoria, di-
 citque, non sine maximo doloris sensu
 se percepisse, quosdam in Occidente af-
 firmare, quod Spiritus Sanctus non so-
 lum a Patre, sed etiam a Filio procedat.
 Hanc Doctrinam primo oppugnat ex Tra-
 ditione, dicens, S. Leonem Papam do-
 cuisse, quod S. Spiritus a solo Patre pro-
 cedat, & Leonem III. eandem Doctri-
 nam

Auct. noviss.
Bibl. PP.
 p. 527.

nam professum fuisse, cum Symbolum ^{Sæculum IX.}
 sine additione duobus scutis argenteis ^{A. C. 884.}
 incidi iussisset. Attamen longe diver- ^{Sup. Lib.}
 sum est dicere, Sanctum Spiritum a Pa- ^{XLV. §. 48.}
 tre procedere, nulla facta Filii mentione,
 & diserte negare, quod a Filio proce-
 dat.

Tum Photius adversus Doctrinam
 Catholicam eadem ferme argumenta,
 quæ in Epistola sua ad Orientales, seden-
 te Papa Nicolao scripta, affert, & ad ar- ^{Sup. Lib.}
 gumenta, tum ex S. Scriptura tum ex ^{L. §. 56.}
 Patribus adducta, respondere conatur.
 Fatetur tamen, non nullos ex SS. Patri-
 bus dixisse, quod Spiritus Sanctus a Filio
 procedat. Tandem extollit auctorita-
 tem Legatorum Joannis Papæ, qui in
 Concilio Constantinopolitano tam viva
 voce quam sua subscriptione declaras-
 sent, se in isto Doctrinæ articulo Græcis ^{Sup. n. 23.}
 consentire. At Joannis Papæ Epistolam
 premit. Ex his deinde infert, illos, qui
 hanc Doctrinam non reciperent, esse fi-
 lios Ecclesiæ rebelles, & damnandos ab
 omnibus, cum eam & Ecclesia Romana
 & ceteræ quatuor Sedes Patriarchales
 tenerent. (*)

D d d 4 §. XLVII.

(*) Ex his iterum liquet, Photium non di-
 vortium, sed communionem Ecclesiæ Romanæ
 expetivisse. Et merito quidem auctoritatem Le-
 gato-